

operabilia coniungitur huic virtuti sensitivae differenti realiter ab ipso intellectu, ideo dicit¹ hoc quod necessaria sive universalia quaecumque speculabilia et contingentia sive operabilia particularia ad diversas potentias realiter differentes pertinent; et dicit quod ambae pertinent ad partem animae rationalem, sive ad rationem, extendendo nomen rationis ad sensitivam apprehensivam quae dicitur cogitativa sive ratio particularis, ratione cuius intellectus practicus ut in sua consideratione huic sensui coniunctus dicitur ut ratiocinativum et ut | potentia alia re differens ab intellectu secundum se speculabilia abstracta et universalia considerante. Differens quidem re dicitur intellectus practicus, non ratione eius quod est ipsius intellectus, sed ratione eius quod coexistit² de sensu ut dictum est.

cod. P
fol. 148 Vb

cod. V
fol. 269 Rb

Aut etiam secundum quod aliqui dicunt, aliquid prudentiae bene potest ad solam hanc sensitivam pertinere et sic ipsa di | cetur ratiocinativum divisum contra scientificum. Sic autem non potest dici appetitus rationalis per essentiam quia actum apprehensivum non habet, sed per³ participationem quia sequitur apprehensionem virtutis cognoscitivae. Et ideo non valet ratio de indistinctione intellectus propter indistinctionem⁴ appetitus. Vel aliter responderi potest quia cum dicitur quod voluntas vel appetitus non distinguitur, dicendum quod secundum aliquos sicut ratio dividitur in superiorem et inferiorem, ita et voluntas ut habitum est. Dicitur etiam quod sicut ratiocinativum dicitur intellectus cum praedicto sensu, ita huic respondet appetitus quasi electivus qui est voluntas cum appetitu sensitivo.

QUAESTIO IX.

Utrum voluntas vel intellectus sit excellentior potentia.

Deinde circa secundum praedictorum, scilicet utrum voluntas vel intellectus sit excellentior potentia sic procedebatur. Primo arguendo scilicet quod intellectus sit excellentior quam voluntas, quia illa potentia est excellentior⁵ in qua consistit principaliter beatitudo quae est hominis

¹ om. P. — ² existit P. — ³ apprehensionem add. P. — ⁴ distinctionem P. — ⁵ quam — excellentior] om. P.

summum bonum. Sed beatitudo consistit in actu intellectus non in actu voluntatis secundum illud Iohannis (1), decimo septimo: haec est vita aeterna ut cognoscant te unum Deum et quem misisti Iesum Christum. Quare et cetera.

Contra. Illa potentia est excellentior in qua est habitus sive virtus excellentior. Sed voluntas est huiusmodi, quia in voluntate est caritas quae est excellentior quam sapientia quae est in intellectu. Nam ordines angelorum distinguuntur et ordinantur secundum distinctionem et ordinem donorum quibus perficiuntur et a quibus¹ denominantur. Summus autem ordo angelorum denominatur ab ardore caritatis non autem a limpiditate contemplationis. Quare et cetera.

Praeterea, illa potentia est excellentior quae omnibus aliis imperat et eas movet, ipsa autem a nullo movetur² nec aliqua potentia ei imperat, quam quaecumque potentia quae ab alio movetur et ab alia imperatur. Sed voluntas movet alias potentias et eis imperat, et a nullo movetur sed se ipsam movet, alioquin periret liberum arbitrium; nec aliqua potentia ei imperat quia ipsa sola habet dominium sui actus. Quare et cetera.

Responsio in libro magistri.

QUAESTIO X.

Utrum caritas sive quicumque habitus possit augeri per essentiam.

Deinde circa animam quantum ad habitus perficientes eius potentias quaerebantur quaedam pertinentia ad habitus animae in generali, et primo quaerebatur unum scilicet utrum caritas sive quicumque habitus possit augeri per essentiam. Et arguebatur quod caritas sive quicumque habitus augeatur per essentiam, quia illud per³ suam essentiam augeatur quod secundum se sive in se est magis vel minus, et non solum illud in quo est dicitur secundum illud⁴ magis et⁵ minus. Sed⁵ secundum

¹ a quibus] aliquibus V. — ² a — movetur] nullo modo P. — ³ illud per — illud] id P. — ⁴ vel add. P. — ⁵ om. P.

(1) *Evang. secundum Ioh.*, XVII, 3.

LES
losophes Belges

Textes & Études

lée par l'Institut supérieur de Philosophie de l'Université de Louvain

TOME II.

quatre premiers Quodlibets

de Godefroid de Fontaines

(Texte inédit)

PAR

I. DE WULF

seur à l'Université de Louvain

et

A. PELZER

Docteur en philosophie

